



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Formula literarum deputattonis Vicariorum foraneorum in Dioecesi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

& Sacrificiis Regularium, tam virorum, quam mulierum cuiusvis ordinis, etiam commendata, & clausuram; personas quoque regulares, in his quæ ad animarum curam pertinent: Hospitalia præterea, scholas, confraternitates etiam laicorum, oratoria, ac pia loca quæcunque, misericordiarum, eleemosynarum, charitatis, pietatis, confraternitatis, aliove quouis nomine nuncupata, in Ciuitate, & Diœcesi sita, etiam si extra territorium Brixienſe exiſtât, ad præſcriptum facultatum, ipſe viſites, & reformanda; corrigenda; emendanda; ve reformes, corrigas, & emendes, eorumque; Eccleſiarum & locorum huiusmodi neceſſitatibus prouideas, aliaque; in ipſis Eccleſiis, & locis, quæcunque; ad earum cultum & vſum neceſſaria ſunt, conſulas, agas, geras, & exequaris; contra que item quaſcunque perſonas, tam Eccleſiaſticas, quam laicas, cuiusvis dignitatis, & præeminentiæ ſint, etiam illuſtres, inquireas, procedas, tam in cauſis ciuilibus, quam criminalibus, matrimonialibus, beneficalibus, & alijs quibuſcunque ad præſcriptum facultatum, etiam vſque ad ſententiam incluſiue, eiusque executionem, inuocato etiã, vbi, & quoties opus fuerit, brachio ſæculari. Subdelegantes tibi vices noſtras, ac facultates quaſcunque nobis delegatas, tam à ſecl. recordat. Pio Papa Quarto, quam à Sanctiſſimo Domino noſtro Gregorio Papa Decimo tertio per litteras Apoſtolicas Sanctitatis ſuæ, ac litteris Illuſtriſſimorum Cardinalium Congregationis Viſitationis nobis tributæ, & alijs omni meliori modo, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, quam etiã in ſpiritualibus, & mixtis, tam in abſoluendo, quam in condemnando, diſpenſando, à quibuſcunque; cenſuris, pœnis, ſententijs, & irregularitatibus, alijsque ad præſcriptum dictarum facultatum. Quæ verò magis ardua ſunt, quæve maiorem deliberationem deſiderât, ea abſte ad nos referri mãdauimus; vt eiſdem Sanctiſſimi Domini noſtri litteris præſcriptum eſt. Præcipimus præterea, & iubemus omnibus & ſingulis quibuſcunque, Archipreſbyteris, Præpoſitis, Archidiaconis, alijsque; dignitatibus, etiam principalibus, Rectoribus, Canonicis,

Altariſtis, Capellanis, Clericis, Sacerdotibus, alijsque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, locorum piorum Adminiſtratoribus, Curatoribus, Præſectiſve, Vniuerſitatibus, & cæteris, ad quos id quoquo modo ſpectat, aut ſpectare poteſt, vt te Viſitatore vt ſupra per nos conſtitutum ac ſubdelegatum benignè recipiant, tuiſque monitionibus, præceptis, ac iuſſis quæ feceris, pareant: pœnis propoſitis, etiam interdicti generalis, & excommunicationis, pro contumaciæ aut culpæ grauitate, declarandis, & interrogandis, ad præſcriptum dictarum facultatum. Hoc item mãdamus, vt tibi, tuoque; Notario, & alij qui ſeruiat, durante viſitatione, ab his ad quos ſpectat, debita & congrua victus expenſarumque; procuratio exhibeatur, ac de viatico honeſto prouideatur. In quorum fidem &c. Dat. &c.

Formula litterarum deputationis Vicariariorum foraneorum in Diœceſi.

**C**arolis &c. Dilecto nobis in Chriſto, Reuer. N. ſalutem in Domino. Cum per multas occupationes, quibus in hoc Archiepiſcopali munere diſtine mur, omnes diœceſis noſtræ partes affiduè obire, earumque ſtatum inuiſere, nobis non liceat; Summo pere tamen cupimus, vt quæ ſalutariter ſanciantur aut conſtituantur, omnia diligenter obſeruentur; poſcereque etiam videatur ratio curationis & adminiſtrationis noſtræ, vt certa loca, præſentem, aut certè propinquiorem noſtræ poteſtatis Vicarium quibuſdam in rebus habeant: Idcirco de probitate, doctrina, & prudentia tua, plurimum in Domino confidentes, te in plebe N. in Vicarium noſtrum Foraneum (ſalua aliorum Vicariorum noſtrorum auctoritate) eligimus & conſtituimus; poteſtatem hanc tuam, hac ratione definiens: vt Eccleſias omnes, Oratoria, & Capellas, noſtræ iuriſdictioni, ac viſitationi ſubiectas, quæ ſunt dictæ Plebis, vel intra eius fines continentur, Sacerdotesque, reliquos Clericos, & populos viſites; vt omnia quæ ibi, vel Apoſtolica Viſitatione iuſſa, vel

Vel à nobis, aut à Visitatoribus nostris iam ordinata sunt, aut in posterum ordinabuntur; & alia, quæ literis Apostolicis, & Synodaliibus decretis, publicisque edictis, ac decretis generalibus vel specialibus, à nobis editis, vel edendis, obseruari, ac diligenter executioni mitti facias; vt contra omnes criminum & culpæ reos, siue suspectos, tum Clericos, tum etiã Laicos, in causis ad forum nostrum pertinentibus, ac etiam mixtis, processus informatiuos ad nos illico mittendos conficias: Eosq; prout iuris fuerit, & necessitas facti suaserit, interim capi, & carceri mancipari & custodiri facias; implorato etiam ad hoc brachio sæculari, si tibi ob longinquitatem Curia, & familiaris nostræ Archiepiscopalis, aliaue ex causa opus fuerit: Et non expectata etiam nostra iussione, vel alia facultate, per te ipse corrigas & punias Sacerdotes & Clericos quoscunque, qui negligentia, vel contumacia, vel alia culpa quidpiam peccarint, deliquerintve, in ijs, quæ illis, vel singulis, vel vniuersis Apostolica visitatione, aut à nobis, vel Concilijs Prouincialibus, vel Synodis Diœcesanis, vel alijs decretis, constitutionibus, aut ordinationibus quibuscunque præscripta sunt; De clericali tonsura, & decenti habitu, de suppellectili, mensa, & familia; de Clericalibus ædibus, de mulierum vel laicorum hominum cohabitatione, aut familiaritate; De residentia in proprijs Ecclesijs, & Canonicalibus, Parochialibusve ædibus; De licentia scripta Vicarij foranei, si quando abesse ad breue tempus opus sit: De armis, ludis, spectaculis, & huiusmodi, à clerico vitandis; De negotijs sæcularibus fugiendis; De libris habendis, & legendis; De studijs, & sacris lectionibus; De Clericalibus Conuentibus; De Canonicis horis, ijsq; deuotè recitandis; De Confessariorum Sacerdotum delectu; De frequenti vsu Sacramenti Pœnitentiæ, & sacræ Eucharistiæ; De Missæ celebratione; De minorum ordinum, & maiorum, & alijs proprijs cuiuscunq; Clerici, Canonici, vel dignitatem obtinentis in Ecclesia functionibus; De Clericis habendis; De Cantoribus; De Mi-

Pars III.

norum Clericorum officijs à laicis non præstandis; De Clericali modestia in choro, & in Ecclesia, & in Ecclesiasticis muneribus obeundis; De Ministris Ecclesiæ; De diuinis officijs ritè & rectè celebrandis; De processionibus, & funeralibus; De Ecclesiarum, Altarium, & Sacristiarum reparatione, munditia, ornatu, & congruo apparatu, ac suppellectili; De capsâ rerum incertarum in quacunque Plebania custodienda; De fidei professione recipienda à ludi magistris, Physicis, & alijs qui Doctrinam Christianam docent; De sanctæ Eucharistiæ, sacrarum reliquiarum, Chriσμαtis, Sanctorum Oleorum, & reliquorum sacrorum munditia, & custodia; De Sacramentorum recta religiosaq; administratione; De Prædicatione, vel lectione Parochi in Altari; De Doctrina Christiana à Parochis habenda; De alijs Parochi in suum populum officijs: Indumenta, suppellectiles & alia, quæ cõtra præscriptum nostrum habuerint, ab eis auferre possis, & ecclesijs, aut pijs locis addicere: Eos ieiunijs, & pecunia, eisdem pijs locis ex sententiâ tua tribuenda (modò summa decem aureis nummis maior non sit) multare: Laicis publicè delinquentibus publicam pœnitentiam imponendi, eosq; qui edictis nostris, præsertim de festorum dierum cultu, & de ratione in Ecclesijs conuersandi, propositis non paruierint, Ingressu Ecclesiarum prohibendi, & pœnis, quæ in illis continentur, multandi ac afficiendi, ius tibi sit. Nulla tamen occasione vel causa, liceat tibi ad excommunicationis personarum, aut suspensionis, & interdicti Ecclesiarum, pœnam vel infligendum, vel declarandum, sine speciali nostra, vel alicuius ex nostris Vicarijs in vrbe, iussione deuenire. Capellis titularibus vel mercenarijs vacantibus, aut alijs debito ministerio carentibus, Capellanos, congruo stipendio illis ex fructibus ipsarum Capellarum vacantium assignato, deputes; qui tamen post duos menses in eo munere non perseuerent, nisi à nobis eius rei facultate scriptis impetrata. Parochialibus quoque, ac alijs Curatis Ecclesijs vacantibus, aut

N ob

ob absentiam, vel infirmitatem proprii Parochi, aut alijs debitis ministerijs ex toto aut ex parte destitutis, idoneos Vicarios, cum ea illius beneficii fructuum portione, quæ à nobis declarabitur, præficias: modò tamen, quod ad audiendas confessiones attinet, vel iam alio loco Parochi sint, vel alij Sacerdotes, qui à nobis scriptam audiendarum confessionum facultatem habeant, neque ijs alijs id munus postea sit interdictum; Idque donec à nobis Parochi, vel alij Vicarij, ad id munus in illis locis præstandum eligantur; & propterea de vacatione, vel destitutione quorumcumque beneficiorum, vel officiorum Ecclesiasticorum, etiam amouibilium, in tuo Vicariatu, statim nobis literis significabis; vt vacantium Ecclesiarum fructus in manibus ad id à nobis deputati Depositarij reponi facias, & computa ac calculos cum quibuscumque earum debitoribus facias, ac singulo trimestri eorum omnium rationes ad nos scripto referas, sub pœna priuationis officij Vicariatus tibi commissi. Relicta ad pias causas, quibus debentur, iuris remedijs efficias omnino, vt persoluantur: si que difficultas grauior erit, ad nos referas: pro ijs, quæ Apostolicis, vel nostris, vel nostrorum Vicariorum, & Visitatorum decretis, alijsve iussis mandantur, exequendis, beneficiorum quorumcumque fructus sequestrari, & legitimè relaxari mandes. In quorum fidem &c. Dat. &c.

Eadem ferè facultas præfectis regionum seu portarum in ciuitate conceditur, paucis immutatis. Illud tamen sciendum est, quod supra de visitatoribus ad monuimus, ampliores ijs cum in Dicecesi visitant facultates concedi solere, pauciores cum in vrbe; id etiam in Vicarijs foraneis præfectisve portarum in vrbe fieri, ob eandem quam supra attingimus rationem.

Facultates ad visitatores aliosque monialium officiales seu ministros pertinentes, inferius cum de ipjs monialibus, habentur.

Formula literarum pro regimine & visitatione scholarum doctrinæ Christianæ.

CAROLVS &c. Si come infinitamente à Dio benedetto piace vna diligente cura, che fino da i primi anni i fedeli si ammaestrino nel timore santo, e nella via sua, laquale è la dottrina di Gesu Christo suo figliuolo vnigenito: così i Pastori, per la cura loro paterna, e per il zelo dell'anime, ilquale è sacrificio tanto accetto à sua Diuina Maestà, hāno obligo grāde di ponere in cid ogni solecitudine. Onde noi oltre gli altri studij, fatiche, e cure, che habbiamo vsato nell'instituire è piatate le scuole della Dottrina Christiana, à fine che cò ogni còcorso e frequēza, ogn'vno, e particolarmente i figliuoli, s'allevino costumatamente, e cò cognitione, e dottrina di vita Christiana; habbiamo auco voluto elegere Visitatori di dette scuole, nò potèdo noi, per altre occupationi che ci apporta il carico della solecitudine Archiepiscopale, attendere còtinuamente à tal impresa, in quel modo che sommamente desideriamo nel Signore. Per tato habbiamo eletto Visitatore di dette Scuole nella diocesi nostra N. operario di esse, nella cui opza ci còfidiamo molto. E perciò per la presente còmandiamo a i Reuer. Preuosti, Arcipreti, Parochi, ò Curati de i luoghi della nostra Diocesi, che diano loro ogni aiuto e fauore, nò solo in piantare, visitare, e riformare le Scuole della detta dottrina, e fare in esse tutto ciò che sarà bisogno per aiuto dell'opera; ma ancora in leuare ogni impedimento, à fine che nell'hore assegnate da noi, le dette scuole siano frequentate da i popoli, à gloria di Dio, e salute dell'anime, Effortiamo poi cò tutte le viscere della carità nostra paterna efficacemente ogni fedel Christiano, e particolarmente ciascuno padre di famiglia, che sia solecito à condurre i putti & i figliuoli à questo santo essercitio, si d'imparare, come di insegnare essa Dottrina Christiana. Heuemo questa speranza della pietà, e diligenza di ciascuno, che in cosa tanto necessaria, & vtile, non mancherà à se stesso,